

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

**Augustini in euangelium secundum Iohannem sermones
CXXIII - Cod. Aug. perg. 47**

Augustinus, Aurelius

[Reichenau ?], [14. Jh.]

Sermo XV

[urn:nbn:de:bsz:31-64194](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-64194)

te cognouimus. sed patrem quaerimus; subiecit statim, qui me uidet & uidet & patrem; Si ergo aequalis patri missus est, non eum aestimemus ex infirmitate carnis, sed cogitemus maiestatem indutam carne, non oppressam carne; manens enim deus apud patrem, apud homines factus est homo, ut tu per illum qui ad te factus est homo, fieres talis qualis capit deum; non enim homo poterat capere deum; uidere poterat homo hominem, capere deum non poterat, unde non poterat capere deum quia oculum cordis unde capere non habebat; erat ergo aliquid intus saucium, & aliquid foris sanum, corporis oculos habebat sanos, cordis habebat saucios; factus est ille homo ad corporis oculum, ut credens in eum qui uideri corporaliter potuit, curretes ad eum ipsum uidendum quem spiritualiter uidere non poterat; Tanto tempore uobiscum sum & non cognouistis me, philippe qui me uidet & uidet & patrem; quare illi non illum uidebant. ecce uidebant illum, & patrem non uidebant, uidebant carnem, sed maiestas latebat, quod uidebant discipuli qui amauerunt, uiderunt & iudaei qui crucifixerunt. Intus ergo erat totus ille, & sic intus in carne ut apud patrem maneret; non enim deseruit patrem, quando uenit ad carnem; carnalis cogitatio non capit quod dico; differat intellectum, & incipiat a fide, audiat quod sequitur, Qui credit in filium, habet uitam aeternam; qui autem incredulus est filio, non uidebit uitam, sed ira dei manet super eum; non dixit ira dei uenit ad eum, sed ira dei manet super eum; Omnes qui nascuntur mortales, habent secum iram dei; quam iram dei, quam excepti primus adam, si enim peccauit primus homo & audiuit morte mortem, factus est mortalis ille, & coepimus nasci mortales, cum ira dei nati sumus; uenit inde filius, non habens peccatum, & indutus est carne, indutus est mortalitate, si ille nobiscum communicauit iram dei, nos pigri sumus cum illo communicate gratiam dei. Qui ergo non uult credere in filium, ira dei manet super illum; quae ira, de qua dicit apostolus; fuimus enim & nos natura filii irae, sicut & ceteri; Omnes ergo filii irae, quia de maledicto mortis uenientes, crede in christum factum pro te mortalem, ut eum capias immortalem; quando enim ceperis eius immortalitatem, ne tu eris mortalis, uiuebat moriebaris, mortuus est ut uiuas; attulit gratiam dei, abstulit iram dei; deus bibit mortem, ne mors biberet hominem.

**INCIPIT SERMO XX AB EO QUOD
DIXIT UT ERGO COGNOUIT IHS QUI AUDIERANT PHARISEI
QUI IHS PLURES DISCIPULOS FACIT USQUE AD IO UBI DICIT
QUI IAM NON PROPTER TUAM LOQUELLAM CREDI-
MUS IPSI ENIM AUDIIMUS ET SCIMUS QUI HIC
EST UERE SALUTOR MUNDI**

Non rude est auribus caritatis uestrae euangelistam iohannem uelut

Aquilam uolare altius, caliginemq. terrae transcendere, & lucem ueritatis
 firmioribus oculis intueri; multa enim iam ex euangelio eius per ministeri-
 um nostrum dño adiuuante tractata sunt. ex ordine autem sequitur haec
 lectio quae hodie recitata est; ea quae dicitur sum donante dño, multis sic
 audituri estis ut magis recognoscatis quam discatis; Non ideo tam pigra debet
 esse intentio, quia non est cognitio, sed recognitio; hoc lectum est & hanc lec-
 tionem tractandam gestamus in manibus; quod dñs ihs ad puteum iacob lo-
 quebatur cum samaritana muliere; Dicta enim ibi sunt magna mysteria & mag-
 narum similitudines rerum, pascentes animam esurientem, reficientes languen-
 tem; Dñs enim haec cum audisset & cognouisset pharisaeos quod plures discipulos
 faceret quam iohannes & plures baptizaret quamquam ihs non baptizaret sed
 discipuli eius, reliquit iudaeam terram & abiit iterum in galileam; hinc diutius
 disputandum non est, ne in morantes in manifestis angustias temporis patiamur
 ad obscura scrutanda & aperienda; utiq. dñs si sciret pharisaeos ita de se cognouis-
 se quod plures discipulos faceret & quod plures baptizaret, ut hoc eis ad salutem
 ualere sequendi eum, ut & ipsi essent discipuli, & ipsi uellent ab eo baptizari;
 magis non relinqueret iudaeam terram, sed propter illos maneret ibi; quia
 uero cognouit eorum scientiam, simul cognouit & inuidiam; quia non hoc
 propterea didicerunt ut sequerentur, sed ut persequerentur; abijt inde;
 poterat quidem ille & praesens ab his non teneri si uollisset, non occidi si uollisset;
 quia potuit & non nasci si uollisset, sed quia in omni re quam gessit, ut homo homi-
 nibus in se credituris praebere exemplum; quia unusquisq. seruus dñi non pec-
 cat si secesserit in alium locum uidens furorem forte persequentium se, aut
 quaerentium in malum animam suam; uideretur autem ibi seruus dñi peccare si
 faceret nisi in faciendo dñs praecessisset; fecit hoc ille magister bonus ut doceret;
 non quod timeret; fortassis & iam hoc mouet cur dictum sit baptizabat ihs
 plures quam iohannes; & postea quam dictum est baptizabat, subiectum est;
 quamquam ihs non baptizabat, sed discipuli eius; quid ergo, falsum dictum erat
 & correctum est cum additum est, quamquam ihs non baptizabat, sed discipuli
 eius. an utrumq. uerum est quia ihs & baptizabat & non baptizabat; baptiza-
 bat enim quia ipse mundabat; non baptizabat, quia non ipse tinguebat; prae-
 bebant discipuli ministerium corporis, praebat ille ad uicium maiestatis;
 quando enim cessaret ab baptizando, quamdiu non cessat amundando. De quo
 dictum est ab eodem iohanne, per iohannis baptistae personam dicentis, hic est
 qui baptizat; ergo ihs adhuc baptizat, & quo usq. baptizandi sumus, ihs baptizat;
 securus homo accedit ad inferiorem ministrum, habet enim superiorem magis-
 trum; Sed forte ait aliquis, baptizat xps quidem in spu, non in corpore;

per se no:

om, quoniam
 timemus
 in oppres
 homo, ut tu per
 homo potest
 unde non pot
 at ergo aliquid in
 nos, cordis habet
 in quidam cor
 aliter uider
 e philippe
 uident illi
 quod uident
 ius ergo
 in delictis par
 d dicitur in
 in infundebat
 ubi uisus sed in
 in manu per
 quam ram si qui
 abbas more
 in natione
 in uisus et
 in uisus
 natura filii
 in uisus
 in, quando enim
 moribus, mor
 ba mortem, ne
 e quo
 in pharis
 ad ubi
 lam crea
 us quib
 in iohannem

quasi uero alterius dono quam illius quisquam & iam sacramento corporis
 & uisibilis baptismatis inbuatur. uis nosse quia ipse baptizat non solum spū
 sed & iam aqua. Audi apostolum; sicut xp̄i inquit dilexit ecclesiam & se
 ipsum tradidit pro ea mundans eam lauacro aquae in uerbo; exhibere
 sibi ipse gloriosam ecclesiam non habentem maculam aut rugam aut
 aliquid eiusmodi; mundans eam unda lauacro aquae in uerbo; quid est bap
 tismus xp̄i lauacrum aquae in uerbo; tolle aquam non est baptismus. tolle
 uerbum non est baptismus; Jam ergo his praeiactis per quae per uenit ad con
 loquutionem cum illa muliere. uideamus quae restant plena mysteris &
 grauida sacramentis; Oportebat autem inquit eum transire per samariā;
 uenit ergo in ciuitatem samariae quae dicitur sichar. iuxta praediū quod
 dedit iacob ioseph filio suo; erat autem ibi fons iacob; puteus erat. sed omnis
 puteus fons. non omnis fons puteus; ubi enim aqua de terra manat & usui
 praebetur haurientibus. fons dicitur; sed si in promptu & superficie sit.
 fons tantum dicitur. si autem in alto & in profundo sit. ita puteus uocatur
 ut nomen fontis non amittat; Jhs ergo fatigatus ex itinere sedebat sic sup
 fontem. hora erat quasi sexta; iam incipiunt mysteria. non enim frustra
 fatigatur jhs. non enim frustra fatigatur uirtus di. non enim frustra faci
 gatur per quem fatigati recreantur; Non enim frustra fatigatur quo de
 serente fatigamur. quo praesente firmamur; fatigatur tamen jhs. &
 fatigatur ab itinere. & sed & iuxta puteum. & hora sexta fatigatus sed &;
 omnia ista innuunt aliquid. indicant uolunt aliquid. intentos faciunt.
 ut pulsemus hortantur; ipse ergo aperiat & nobis & uobis. qui dignatus est
 ita hortari ut diceret. pulsate & aperietur uobis; tibi fatigatus est ab itinere
 jhs; inuenimus uirtutem ihm. & inuenimus infirmum ihm. fortem & in
 firmum ihm; fortem. quia in principio erat uerbum. & uerbum erat apud
 dm̄. & d̄s erat uerbum. hoc erat in principio apud dm̄; uis uideat quam iste
 filius filius di fortissus; Omnia per ipsum facta sunt. & sine ipso factum est
 nihil. & sine labore facta sunt; Quid ergo illo fortius. per quem sine labore
 facta sunt omnia. Infirmum uis nosse. uerbum caro factum est & habitauit
 in nobis; fortitudo xp̄i te creauit. infirmitas xp̄i te recreauit; fortitudo
 xp̄i fecit ut quod non erat esset. infirmitas xp̄i fecit ut quod erat non peri
 r̄t; condidit nos fortitudine sua. quaesuit nos infirmitate sua; Morte
 ergo ipse infirmus infirmos. tamquam gallina pullos suos. huic enim se
 similem fecit; quotiens uolui inquit adhierusalem. congrega te filios tuos
 sub alas. tamquam gallina pullos suos. & noluisti; uidetis autem fratres quē
 admodum gallina infirmetur cum pullis suis. nulla alia uis quod sit mater.

baptismus
 xpi:

fortis et
 fragilis xpi:

agnoscitur; uidemus nidificare passeret quos libet ante oculos nostros hirundines. ciconias columbas; cotidie uidemus nidificare quos nisi quando in nidis uidemus. parentes esse non agnoscimus. Gallina uero sic infirmatur in pullis suis. ut etiam si ipsi pulli non sequantur. filios non uideat. matrem tamen agnoscit. ita fit alis dimissis plumis hispida uoce rauca omnibus membris dimissa & abiecta ut quemadmodum dixi. etiam si filios non uideat. matrem tamen intellegat; Sic ergo infirmus ih̄s fatigatus ab itinere; iter ipsius est caro adsumpta pro nobis; quomodo enim iter habet qui ubiq. est. qui nusquam deest. quo ita aut unde it. nisi quia non ad nos uenit & nisi formam uisibilis carnis adsumeret; quia ergo uenit ad nos eo modo dignatus est. ut in forma serui assumpta carne appareret. ipsa carnis assumptio est iter ipsius; Ideo fatigatus ab itinere. quid est aliud quam fatigatus in carne. Infirmus in carne ih̄s. sed noli tu infirmari; In illius infirmitate tu fortis esto. quia quod infirmum est di. fortius est hominibus. Sub hac rerum imagine adam qui erat forma futuri. praebeuit nobis magnum iudicium sacramenti. immo di in illo praebeuit; nā & dormiens meruit accipere uxorem & de costa eius facta est uxor. q̄m de xp̄o in cruce dormiente futura erat ecclesia de latere eius; De latere scilicet dormientis. quia & de latere in cruce pendentis lancea percussio sacramenta ecclesiae profluxerunt. sed quare hoc dicere uolui fr̄s. quia infirmitas xp̄i nos facit fortes. magna ibi imago praecessit; potuit di carnem de trahere homini unde faceret feminam. & magis uidetur quasi congruere potuisse; fiebat enim sexus infirmior. & magis de carne infirmitas fieri debuit quā de osse. ossa enim in carne firmiora sunt; non de traxit carnem unde faceret mulierem. sed de traxit os & de traxit osse formata est mulier. & in locum ossis caro adimplata est; poterat pro osse os reddere. poterat ad faciendam mulierem non costam sed carnem de trahere; quid igitur significauit. facta est mulier in costa tamquam foetus. factus est adam in carne tamquam infirmus. xp̄s est. & ecclesia. illius infirmitas. nostra est fortitudo; Quare ergo hora sexta. quia aetate saeculi sexta; computa in euangelio tamquam unam horam. unam aetatem ab adam usq. ad noe. secundam a noe usq. ad abraham. Tertiā iam ab abraham usq. ad dauid. Quartam a dauid usq. ad transmigratiōē babiloniae. Quintam a transmigratiōē babiloniae usq. ad baptismum iohannis. inde sexta agitur. Quid miraris uenit ih̄s & humiliando se uenit ad puteum; fatigatus uenit. quia infirmam carnem portauit; hora sexta. quia aetate saeculi sexta; ad puteum. quia ad profunditatem huius habitationis nostrae; unde dicitur in psalms. De profundis clamaui ad te dñe; sedit ut dixi. quia humiliatus est; & uenit mulier. forma ecclesiae.

Sacramenta
eius fluxerunt
ex latere
chri.

my senary

non iam iustificatae. sed iustificandae. Nam hoc agit sermo, uenit ignara.
 inuenit eum. & agit cum illa. uideamus; quid uideamus. quare uenit
 mulier de samaria haurire aquam; samaritani ad iudaeorum gentem non
 pertinebant. alienigenae enim fuerunt. quamuis uicinas terras incolerent;
 longum est originem samaritanorum & exere. nenos multateneant. & necessa-
 ria non loquamur. Sufficit ergo ut samaritanos inter alienigenas deputemus.
 & ne hoc audacius me arbitremini dixisse quam uerius. audite ipsum dnm ihm
 quid dixerit de illo samaritano uno de decem leprosis quos mundauerat qui
 solus rediit ut gratias ageret. Nonne decem mundati sunt. non erat alius qui
 dar & gloriam do nisi alienigena; iste pertinet ad imaginem rei quod ab alie-
 nigenis uenit ista mulier. quae ty pum gerebat ecclesiae; uentura enim erat
 ecclesia de gentibus alienigena agens iudaeorum. Audiamus ergo in illa nos.
 & in illa agnoscamus nos. & in illa gratias agamus do pro nobis; illa enim figura erat
 non ueritas. quia & ipsa praemisit figuram & facta est ueritas; nam credidit
 in eum. quid de illa nobis figuram praendebat; uenit ergo haurire aquam;
 simpliciter uenerat haurire aquam. sicut solent uel uiri uel feminae. Dicit
 ei ih̄s; da mihi bibere. Discipuli enim eius abierant in ciuitatem. ut cibos eme-
 rent. Dicit ergo ei mulier illa samaritana; quomodo tu iudaeus cum sis.
 bibere a me poscis. quare sum mulier samaritana. non enim conuertuntur iudaei
 samaritanis; Uideatis alienigenam. omnino uasculis eorum non utebantur;
 & quia ferebat secum mulier uasculum unde aquam hauriret. eo mirata est
 quia iudaeus praebat ab ea bibere. quod non solebant facere iudaei; ille autem
 qui bibere quaerebat. fidem ipsius mulieris sciebat; Deniq. audi quis praebat; ih̄s; qd.
 bibere; Respondit ih̄s. & dixit ei; si scires donum di. & quis est qui dicit tibi
 da mihi bibere. tu forsitan praeseres ab eo. & dedisset tibi aquam uiuam; praebat
 bibere. & promittit bibere; ego quasi accepturus. & affluit tamquam satia-
 turus; si scires inquit donum di; donum di est sp̄s sc̄s; sed adhuc mulieri
 tecte loquitur. & paulatim intrat incor. fortassis iam docet; quid enim ista
 hortatione sua suauius & benignius. si scires donum di & scires quis est qui
 dicit tibi da mihi bibere. tu forsitan praeseres & dar & tibi aquam uiuam. huc
 usq. suspendit; uiua aqua dicitur uulgo illa quae de fonte exit; illa autem
 quae colligitur de pluuia in lacunas. aut in cisternas. aqua uiua non dicitur.
 & si de fonte manauerit. & in loco aliquo collecta steterit. nec ad se illud unde
 manabat admiserit. sed interrupto meatu tamquam a fontis tramite separa-
 ta fuerit. non dicitur aqua uiua. sed illa aqua uiua dicitur quae manans ex-
 cipitur; talis aqua erat in illo fonte; quid ergo promittebat quod praebat.
 Tamen mulier suspensa ait. Dne neq. in quo haurias habes. & puteus altus est;

uidet quomodo intellexerit aquam uiuam. aqua scilicet quae erat in illo fonte;
tu mihi uis dante, aquam uiuam. & ego fero unde hauriam. & tu non fers; aqua uiua
hice est; quomodo mihi daturus es. aliud intellegens. & carnaliter sapiens. quoda
modo pulsat ut aperiat magister quod clausum est; pulsabat ignorantia non stu
dio; adhuc miseranda nondum instruenda; Dicit aliquid euidentius dñs de illa
aqua uiua; Dixerat enim mulier. Numquid tu maior es patre nostro iacob qui
dedit nobis puteum. & ipse ex eo bibit. & filii eius. & pecora eius. De hac aqua uiua dante
mihi non potes. qm̄ hauritorium non habes; forte alium fontem promittis. patre
nostro melior potes esse qui hunc puteum fodit. & ipse cum suis usus est eo. Dñs
ergo dicat. quid dixerit aquam uiuam; Respondit ih̄s & dixit ei; omnis qui bibe
rit ex aqua hac sitis iterum. qui autem biberit ex aqua quam ego dabo ei non
sitis in aeternum. Sed aqua quam ego dabo ei. fiet in eo fons aquae salientis in uitam
aeternam; Apertius loquutus est dñs. fiet in eo fons aquae salientis in uitam
aeternam; qui biberit de aqua ista non sitis iterum; Quid euidentius. quia non
aquam uisibilem. sed inuisibilem promittebat. Quid euidentius. quia non car
naliter. sed spiritaliter loquebatur; Adhuc tamen illa mulier carnem sapit.
delectata est non sitis. & putabat hoc secundum carnem sibi promissum esse a
dño; quod quidem fiet. sed in resurrectione mortuorum; iam hoc uolebat illa;
Dederat enim dñs aliquando seruo suo heliae. ut per .xl. dies nec esuriret nec
sitis; qui hoc potuit dante per .xl. dies non potuit dante semper. Suspirabat
tamen illa nolens indigere. nolens laborare. assidu e uenire ad illum fontem.
onerari pondere quo indigentia supleretur. & finito quod hauserat. rursus
redire cogebatur. & cotidianus ei fuit iste labor. quia indigentia illa reficieba
tur. non exinguebatur; Delectata ergo tali munere. rogat ut ei aquam uiuam
daret; uerum tamen non praedereamus. qm̄ dñs spiritale aliquid promit
tebat; Quid est qui biberit de hac aqua. sitis iterum. & uerum est secundum
hanc aquam. & uerum est secundum quod significabat illa aqua; & enim
aqua in puteo uoluptas saeculi est. in profunditate tenebrosa; hic eam hau
riunt homines. hydria cupiditatum; cupiditate quippe promi submitunt.
ut ad uoluptatem haustam de profundo perueniant. & fruuntur uoluptate.
praecedente & praemissa cupiditate; nam qui non praemisert cupiditate.
peruenire non potest ad uoluptatem; pone ergo hydriam cupiditatem.
& aquam de profundo uoluptatem; cum peruenierit quisq. ad uoluptate
saeculi huius. cibus est. potus est. lauacrum est. spectaculum est. concu
bitus est. numquid non iterum sitis. Ergo de hac aqua qui biberit. iterum
inquit sitis; si autem acciperit a me aquam non sitis in aeternum; satia
bimur inquit in bonis domus tuae; De qua ergo aqua daturus est. nisi de.

illa de qua dictum est: apud te fons uitae: nam quomodo sitient. qui in
 ebriabuntur ab ubertate domus tuae: promittebat ergo saginam quandam.
 & factam spiritus sancti: & illa nondum intellegebat; & non intellegens quid res
 pondebat; Dicit ad eum mulier: Domine da mihi hanc aquam ut non sitiam neque
 ueniam huc haurire; Ad laborem indigentia cogebat; & laborem infirmitas
 recusabat; utinam audiret uenire ad me omnes qui laboratis & onerati estis.
 & ego uos reficiam; hoc enim ei dicebat ihesus ut iam non laboratis & sed illa non
 dum intellegebat; Denique uolens ut intellegeret; Dicit ei ihesus; uade uoca uirum
 tuum & ueni huc; quid est uoca uirum tuum? per uirum suum ei uolebat
 aquam illam dare: an quia non intellegebat. per uirum suum eam uolebat do
 cere? forte quomodo ait apostolus de mulieribus: si quid autem discere uoluerit
 domi uiros suos interrogent; sed ibi dicitur domi uiros suos interrogent: ubi
 non est ihesus qui doceat; Denique dicitur mulieribus. quas prohibebat aposto
 lus loqui in ecclesia; Cum uero ipse dominus aderat & praesens praesenti loque
 batur: quid opus erat ut per uirum eius ei loqueretur? Num quid per uirum
 suum loquebatur mariae sedenti ad pedes suos & excipienti uerbum suum?
 quando martha circa multum ministerium & iam de sororis suae felicitate
 occupatissima murmurabat? Ergo fratres mei audiamus & intellegamus quod
 ait dominus. uoca uirum tuum mulieri: forte enim & animae nostrae dicit.
 uoca uirum tuum; quaeramus & de uiro animae. cur iam non ipse ihesus uir
 animae uerus est; ad sit intellectus. quoniam quod dicturi sumus uix capitur nisi
 ab intentis; ad sit ergo intellectus ut capiatur; & ipse intellectus erit fortasse
 uir animae; uidens ergo ihesus quia mulier non intellegebat. & uolens eam in
 tellegere; uoca inquit uirum tuum; ideo enim nescis quid dico. quia intel
 lectus tuus non adest; loquor ego secundum spiritum; tu audis secundum carnem;
 quae loquor nec ad uoluptatem aurium pertinent. nec ad oculos. nec ad
 olfactum. nec ad gustum. nec ad tactum: mente sola capiuntur: intellegit
 tu solo hauriuntur: ille intellectus non tibi adest; quomodo capis quod
 dico; uoca uirum tuum: praesentia intellectum tuum; quid est enim
 animam habere; non est magnum: nam & pecus habet; unde tu melior?
 quia intellectum habes. quod pecus non habet; quid est ergo uoca uirum tuum?
 Non me capis: non me intellegis; De dono dei tibi loquor. tu autem
 carnem cogitas: secundum carnem scire non uis: ego spiritu alloquor. absens
 est intellectus tuus: uoca uirum tuum; noli esse sicut equus & mulus quibus
 non est intellectus; Ergo fratres mei animam habere & intellectum non ha
 bere. hoc est non adhibere. nec secundum eum uiuere. bestialis est uita;
 est enim in nobis quiddam bestiale quod in carne uiuimus. sed intellectu

Vita besti
 alis:

regendum est; motus enim animae secundum carnem se mouentis & in
 deliciis carnales inmoderate diffuere cupientis regit desuper intellectus;
 qui debet dici uir, qui regit an qui regitur. proculdubio cum ordinata uita
 est, intellectus animam regit ad ipsam animam pertinens, non enim aliq̄d
 aliud est quam anima, sed aliquid animae est intellectus; quomodo non ali-
 quid aliud quam caro est oculus sed aliquid carnis est oculus. Cum autem ali-
 quid carnis sit oculus, solus tamen luce perfruitur. cetera tamen membra
 carnalia luce perfundi possunt. lucem sentire non possunt. Solus ea oculus
 & perfunditur & perfruitur; sic in anima nostra est quiddam quod intellec-
 tus uocatur; hoc ipsum animae quod intellectus & mens dicitur, inluminatur
 luce superiore. Jam superior illa lux quamens humana inluminatur dñs est;
 erat enim uerū lumen quod inluminat omnem hominem uenientē in hunc
 mundum; talis lux xps erat, talis lux cum muliere loquebatur. & illa intellectu
 non ad erat qui illa luce inluminaretur. nec tantum perfunderetur uerum
 & iam frueretur; ergo dñs tamquam diceret. inlustrare uolo & non adest quē.
 Uoca inquit uirum tuum. adhibe intellectum per quem docearis quo regaris;
 ergo constitue animam excepto intellectu tamquam feminam, intellectum
 autem habere tamquam uirum. sed iste uir non bene regit feminam suam nisi cū
 a superiore cum regitur. Caput enim mulieris uir, caput autem uiri xps; lo-
 quebatur caput uiri cum femina & non erat uir. & tamquam diceret dñs. adhibe
 caput tuum, ut ille suscipiat caput suum. Ergo uoca uirū tuum & ueni huc.
 id est ad esto. praesens esto. uelut enim absens es idum non intellegis prae-
 sentis uocem ueritatis; praesens esto, sed noli sola. cum uiro tuo ad esto; &
 adhuc illa nondum aduocato illo uiro non intellegit. adhuc carne sapit
 absens est enim uir. non habeo inquit uirum; & dñs sequitur. & mysteria
 loquitur; Intellegas reuera istam mulierem non habuisse tunc uirum; sed
 quo utebatur nescio quo non legitimo uiro, ad ultero magis quam uiro;
 Et dñs ei; bene dixisti quia non habeo uirum; unde ergo tu dixisti. uoca
 uirum tuum? & audi quia bene nouit dñs non eam habere uirum; dicit ei
 & cetera; ne forte putaret mulier ideo dixisse dñm. bene dixisti quia non
 habeo uirum; quod hoc a muliere didicerit; non quod ipse istud diuinitate
 cognouerit. audi aliquid quod non dixisti; Quinq. enim uiros habuisti?
 & iste quem habes non est uir tuus. hoc uere dixisti; Iterum cogit de istis
 quinq. uiris subtilius aliquid perscrutari; multi quidem intellexerunt non
 quidem absurde. nec usq. quaq. improbabiliter. quinq. uiros mulieris huius
 quinq. libros moysi; utebantur enim eis samaritani & sub eadem lege erant.
 Nam inde illis & circumcisio inerat; sed quā angustat nos quod sequitur.

Anima,
 intellectus,
 deus lux
 superior.

& nunc quem habes non est tuus uir. Quid dicitur mihi facilius nos posse accipere quinque uiros priores animae, quinque sensus corporis esse, quando enim quisque nascitur, ante quam possit uti mente atque ratione, non regitur nisi sensibus carnis; anima in puero paruulo quod auditur, quod uidetur, quod odor, quod sapit, quod tactu sentitur, hoc adpropinquat aut fugit, adpropinquat quicquid mulcet, fugit quicquid offendit hos quinque sensus; hos enim quinque sensus mulcet uoluptas, offendit dolor; secundum hos quinque sensus tamquam quinque uiros prius uiuit anima, quia istis regitur; quare autem uiri dicitur, quia legitimi; ad deum quippe facti, & ad deum donati animae; infirma est adhuc quae istis quinque sensibus regitur, & sub istis quinque uiris agit; at ubi uenerit ad annos exserendae rationis, si eam susceperit optima disciplina & doctrina sapientiae, quinque illis uiris ad regendum non succedet nisi uir uerus legitimus & illis melior, & qui melius regat, & qui ad aeternitatem regat, ad aeternitatem excolat, ad aeternitatem instruat; Nam isti quinque sensus non ad aeternitatem nos regunt, sed ad ista temporalia, uel ad propinquanda, uel fugienda; ubi uero intellectus sapientia inbutus regere coeperit animam, scit iam non solum fugere foueam, & ambulare in aequali, quod oculi ostendunt animae infirmae; nec tantum canoras uoces sua uerter audire, dissonasque repellere, uel blandis odoribus delectari, uel uiresque respicere, aut dulcedine capi, & amaritudine offendi, aut lenibus mulceri, & asperis ledi; Ista enim omnia infirmae animae sunt necessaria; quid ergo regimini adhibetur per illum intellectum, non alba & nigra disceraturus est, sed iusta & iniusta, bona & mala, utilia & inutilia, castitatem & impudicitiam, hanc ut amemus, illam ut uitemus, caritatem & odium, in hac ut sit, in illo ut non sit; hic uir quinque illis uiris in ista muliere non successerat; ubi enim non succedit ille, error dominatur; Nam cum coeperit anima capax esse rationis, aut a sapiente mente regitur, aut errore; sed error non regit, sed perdit; post istos ergo quinque sensus mulier illa adhuc errabat, & error eam uentilabat; error autem iste non erat legitimus uiri, sed adulteri, ideo ei dominus ait, benedixisti quia non habeo uirum, quinque enim uiros habuisti; quinque te sensus carnis primo rexerunt; Uenisti ad aeternitatem utendae rationis, nec ad sapientiam peruenisti, sed in errorem incidisti; Ergo post illos quinque uiros, iste quem habes non est tuus uir; & quid erat si uir non erat, nisi adulter, uoca itaque non ad alterum, sed uirum tuum, ut intellectu me capias, non errore aliquid falsum de me sentias; adhuc enim errabat mulier, quae aquam illam cogitabat, cum iam dominus de spiritu sancto loqueretur, quare errabat nisi quia ad alterum non uirum habebat, Tolle hinc ergo istum adulterum, quia te corrumpit, & uade uoca uirum tuum, uoca & ueni, ut intellegas me;

Dicte ei mulier: Dñe uideo quia propheta es tu; Coepit uenire uir; nondum
 plene uenit. propheta dñm putarat. erat quidem & propheta; nam de se ipso
 ait; non est propheta sine honore nisi in patria sua; Item de illo dictum est ad
 moysen; propheta me suscitabo de fratribus eorum similem tui; similem sci
 licet ad formam carnis. non ad eminentiam maiestatis; ergo inuenimus dñm
 ihm dictum propheta; proinde iam non multum errat mulier ista. uideo in
 quibus quia propheta es tu; incipit uirum adulterum excludere. ^{cū dicitur.} uideo quia pro
 pheta es & incipit quaerere quod illam solus moueret; Contentio quippe fuerat
 inter samaritanos & iudaeos. quia iudaei in templo a salomone fabricato adora
 bant dñm; Samaritani longe inde positi non in eo adorabant; ideo iudaei se esse
 meliores iactabant. quia in templo adorabant dñm; non enim contumaciter iudaei
 samaritanis. quia dicebant eis; quomodo uos iactatis. & ideo uos nobis meliores
 esse pertubetis. quia templum habetis quod nos non habemus. Numquid patres
 nostri quidam placuerunt. in illo templo adorauerunt. nonne in isto monte
 adorauerunt ubi nos sumus. melius ergo nos inquit in hoc monte dñm roga
 mus. ubi patres nostri rogauerunt; Contendebant utriusque ignari quia uirum
 non habentes illi pro templo illi pro monte inflabantur aduersus inuicem;
 Dñs tamen modo quid docet mulierem. tamquam cuius uir coepit praesens
 esse. Dicte ei mulier; Dñe uideo quia propheta es tu; patres nri in monte hoc
 adorauerunt & uos dicitis quia hierosolymis adorare oportet; dicit ei ih̄s; mu
 lier crede mihi; ueni & enim ecclesia sicut dictum est in canticis canticorum.
 ueni & pertransiet ab initio fides. ueni & ut pertransiet & pertransire non
 potest. nisi ab initio fidei merito; iam praesente uiro audit. mulier crede mihi.
 iam est enim in te qui credat; quia praesens est uir tuus; Coepisti ad esse in
 tellectu quando me propheta appellasti; mulier crede mihi. quia si non cre
 dideratis. non intellegissetis; Ergo mulier crede mihi. quia ueni & hora quando
 neq. in monte hoc. neq. in hierosolymis adorabis patrem; uos adoratis quod
 nescitis. nos adoramus quod scimus. quia salus ex iudaeis est; sed ueni & hora;
 quando & nunc est; quae ergo hora? quando ueri adoratores adorabunt
 patrem in spū & ueritate; non in monte isto. non in templo. sed in spū &
 ueritate; Nam & pater tales quaerit qui adorent eum; quare pater tales que
 rit qui adorent eum. non in monte non in templo sed in spū & ueritate. Sp̄s
 est dñs; si corpus esset dñs. oportebat eum adorari in monte. quia corporeus
 mons. oportebat eum adorari in templo. quia corporeum est templum;
 sp̄s est dñs. et eos qui adorant eum in spū oportet adorare; Audiuimus &
 manifestum est. foras ieramus. intro missi sumus; O si inuenirem dicebas.
 montem aliquem altum & solitarium. credo enim quia in alto est dñs.

magis me exaudit ex alto; quia in monte es. propinquum te dō putas & cito te exaudiri quasi de proximo clamantem; In excelsis habitat sed humilia respicit; prope est dñs; quibus forte altis. his qui obtriuerunt cor; miras est. & in altis habitat & humilibus propinquat; humilia respicit; excelsa autem a longe cognoscit; superbos longe uidet. eo illis minus propinquat. quo sibi uidentur altiores; Querebas ergo montem. descende ut adtingas; sed ascende uis. ascende. noli montem quaerere; Ascensiones inquit in corde eius. hoc psalmus dicit. in conualle plorationis; conualis humilitatem habet; ergo intus age totum; & si forte quaeris aliquem locum altum. aliquē locum sc̄m. intus exhibe templum dō; Templū enim dī sc̄m est quod estis uos; In templo uis orate. inte ora. sed prius esto templum dī. quia ille in templo suo exaudit orantem; Uenit ergo hora & nunc est quando ueri ad oratores adorabunt patrem in spū & ueritate; Nos adoramus quod scimus. uos adoratis quod nescitis. qm̄ salus ex iudaeis est. multum dedit iudaeis. sed noli istos reprobos accipere; parietem illum accipe cui adiunctus est alius. ut pacati in lapide angulari quod est xp̄s copulentur; Unus enim paries a iudaeis. unus a gentibus. longe a se isti parietes. sed donec in angulo coniungantur; alienigenae hospites erant & peregrini a testamentis dī; secundum hoc ergo dictum est. nos adoramus quod scimus. ex persona quidem iudaeorum dictum est. sed non omnium iudaeorum. non reproborum iudeorum. sed de qualibus fuerunt apostoli. quales fuerunt prophetae. quales fuerunt illi omnes sc̄i qui omnia sua uendiderunt & praeia rerum suarum ad pedes apostolorum posuerunt; Non reppulit enim d̄s plebem suam quam praesciuit; Audiuit hoc mulier ista. & addidit. iam dudum propheta dixerat; uidit talia dicere eum cum quo loquebatur. quae iam plus essent ad prophetam. & quid respondit uidet; Dicit ei mulier; scio quia messias ueniet qui dicitur xp̄s. cum ergo uenerit. ille nobis omnia demonstrabit; Quid est hoc. modo inquit de templo contendunt iudaei & nos de monte contendimus. Cum ille uenerit & montem spernet & templū evertet. Docebit nos iste omnia. ut in spū & ueritate nouerimus adorare; sciebat quis eam possit docere. sed iam docentem nondum agnoscebat; Jam ergo digna erat cui manifestarētur; messias autem unctus est; unctus grece xp̄s est. hebraice messias est; unde & punice messes dicitur ungeni. Cognatae quippe sunt linguae istae & uicinae. hebraica punica & syra; Ergo dicit ei mulier; scio quia messias ueniet qui dicitur xp̄s. cum ergo uenerit. ille nobis adnuntiabit omnia; Dicit ei ih̄s. ego sum qui loquor tecum; Uocauit uirum suum. factus est uir eius caput mulieris. factus est

messias.
Christus.

xpi caput uiri, iam mulier ordinatur infide & regitur bene uictura; post
 ea quam audiuit hoc ego sum qui loquor tecum; iam ultra quid diceret & quan-
 do xpi dñs manifestate se uoluit mulieri cui dixerat crede mihi; & continuo
 uenerunt discipuli & mirabantur quia cum muliere loquebatur, quia quae-
 rebat perditam qui uenerat quaerere quod perierat, hoc illi mirabantur;
 bonum enim mirabantur non malū suspicabantur; Nemo tamen dixit,
 quid quaeris, aut quid loqueris cum ea; Reliquit ergo hydriam suam muli-
 er; Audito ego sum qui loquor tecum. & recepto in cor xpo dño. quid faceret
 nisi iam hydriam dimitteret & euangelizate curreret, proiecit cupiditatem,
 & properauit ad nuntiande ueritatem; Discant qui uolunt euangelizare, proi-
 ciant hydriam ad puteum; Recordamini quid superius dixerim de hydria,
 uas erat unde aqua hauriebatur. greco nomine appellatur hydria, qm̄ gre-
 ce aqua hydor dicitur, tamquam si aquarium diceretur; proiecit ergo hēdri-
 am, quae iam non usui sed oneris fuit; auidā quippe desiderabat aqua illa sati-
 ari, ut nuntiaret xpm̄ onere abiecto. & cucurrit ad ciuitatem & dicit illis
 hominibus; uenite & uidete hominem qui mihi dixit omnia quae feci;
 pedetentim ne illi quasi iam irascerentur & indignarentur & perseque-
 rentur, uenite & uidete hominem qui dixit mihi omnia quae feci; Numquid
 ipse est xpi; exierunt de ciuitate & ueniebant ad eum. Et rogabant
 eum discipuli dicentes; rabbi manduca; ierant enim emese cibos & uenerat;
 Ille autem dixit; ego cibum habeo manducate quem uos non scitis; Dicebant
 ergo discipuli ad inuicem; numquid aliquis attulit ei manducate, quid
 mirum; si mulier illa non intellegebat aquam. ecce discipuli nondū intel-
 legebant escam; Audiuit autem cogitationes illorum & iam instruit ut
 magister non per circuitum, sicut illam cuius adhuc uirum requirebat, sed
 iam aperte; Meus inquit cibus est, ut faciam uoluntatem eius qui me misit;
 ergo & potus ipsi erat in illa muliere, ut faceret uoluntatem eius qui eum
 miserat; ideo dicebat, sitio damihi bibete. scilicet ut fidem in ea operare-
 tur & fidem eius biberet & eam in corpus suum traiceret; corpus enim eius ē
 ecclesia; ergo ipse est inquit cibus meus, ut faciam uoluntatem eius qui me
 misit; Nonne uos dicitis, quod adhuc quattuor menses sunt & messis uenit,
 In opus feruebat, & operarios mittebat disponebat; Uos quattuor menses
 computatis ad messem, ego uobis aliam messem albam & paratam ostendo;
 Ecce dico uobis leuate oculos uestros & uidete, quia iam albae sunt regiones ad
 messem; ergo messores missurus est; In hoc enim est uerbum uerum, qui
 alius est qui metit, alius qui seminatur, ut & qui seminatur simul gaudeat & qui
 metit; ego misi uos metere quod uos non laborastis, alii laborauerunt & uos

in eorum laborem introistis; quid ergo messorum misisti non seminatos. ~
 quomessor est ubi iam alii laborauerunt; nam ubi iam laboratum erat, semi-
 natum erat; & quod seminatum erat iam maturum factum erat, falcem &
 trituram desiderabat; quo ergo erant messores mittendi, ubi iam prophetae
 praedicauerant. ipsi enim seminatos; nam supra non seminatos. unde ad
 illam mulierem peruenit. Scio quia messias uenit, iam ista mulier fruc-
 tus maturus erat, & erant albae messes & falcem quierabant; misi uos m&e;e;
 quom&e;e. quod non seminastis, alii seminauerunt. & uos in labores eorum
 introistis; qui laborauerunt ipse abraham isaac & iacob. Legite labores eorum;
 in omnibus eorum laboribus prophetae xpi. & ideo seminatos moyses & ceteri
 patriarchae. & omnes prophetae, quanta pertraherunt in illo frigore, quando
 seminabant; ergo iam in iudaea messis parata erat. merito ibi tamquam ma-
 tura seges fuit. quando tot milia hominum praedia rerum suarum adferebant
 & ad pedes apostolorum ponentes expeditos humeris a sarcinis saecularibus
 xpm dnm sequebantur; uere matura messis; quid inde factum est. de ipsa
 messe eiecta sunt pauca grana & seminauerunt orbem terrarum; & surgit alia
 messis quae in fine saeculi m&e;nda est. & de ista messe dicitur; qui seminant
 in lacrimis, in gaudio m&e;nt; ad istam ergo messem non apostoli sed angeli
 mittentur; messorum inquit angeli sunt; ista ergo messis crescit inter ziza-
 nia & expectat purgari in fine. illa uero messis iam matura erat quo prius
 missi sunt discipuli ubi prophetae laborauerunt; sed tamen frs iudae quid
 dictum sit. simul gaudeat & qui seminat & qui m&e;nt. Disparis temporis labo-
 res habuerunt. sed gaudio pariter perfruentur. mercedem simul accepturi
 sunt uitam a&ernam; Ex ciuitate autem illa multi crediderunt in eum prop-
 ter sermonem eius. non propter uerbum mulieris testimonium perhibentis
 quia dixit mihi omnia quaecumq; feci; Cum uenissent autem ad illam samarita-
 nam rogauerunt ut apud eos maneret & mansit ibi duos dies. & multo plures
 crediderunt propter sermonem eius. & mulieri dicebant; quia iam non prop-
 ter tuam loquelam credidimus. ipsi enim nos audiuimus & scimus quia hic
 est uer saluator mundi; & hoc paululum anim aduertendum est. quia lectio
 terminata est; mulier prima nuntiavit & ad mulieris testimonium crediderunt
 samaritani. & rogauerunt eum ut apud eos maneret & mansit ibi duos & plu-
 res crediderunt; & cum credidissent dicebant mulieri; non iam propter uer-
 bum tuum credimus. sed ipsi cognouimus & scimus quia uer hic est saluator
 mundi; primo per feminam postea per praesentiam; sic agitur hodie cum
 eis qui foris sunt & nondum sunt xpiani. Xps nuntiatur per xpianos ami-
 cos tamquam illa mulier. hoc est ecclesia nuntiante; ad xpm ueniunt credunt

per istam ^{femina} ~~famam~~. manet apud eos biduo. hoc est dat illis duo praecepta
 caritatis & multo plures & firmitus in eum credunt. qm̄ uere ipse est
 saluator mundi. **INCIPIT SERMO XVI AB EO QUOD
 DICTUM EST AB ITENIM IHS POST BIDUUM
 QUOD FECERAT IN SAMARIA USQ. AD IO UBI AIT
 ET CREDIDIT IPSE ET DOMUS EIUS TOTA.**

Hodierna euangelica lectio hesternae diei sequitur lectionem quae
 nobis addisputandum proponitur. in qua quidem sensus non sunt in
 uestigatione difficiles. sed digni praedicatione. digni admiratione &
 laudatione; pro inde locum istum euangelii cum commendatione comme
 moremus. potius quam cum difficultate tractemus; Abit enim ihs post biduum
 quod fecerat in samaria in galileam. ubi nutritus erat; sequutus autem euan
 gelista ait, Ipse enim ihs testimonium perhibuit. quia propheta in patria
 sua honorem non habet; Non propterea post biduum discessit de samaria
 ihs. quia honorem in samaria non habebat; non enim samaria patria ipsius erat.
 sed galilea; Cum ergo istos deseruisset tam cito & ad galileam uenisset ubi nu
 tritus erat. quomodo adtestatur. quia propheta in patria sua honorem non habet.
 magis uideatur adtestari potuisse. quod propheta in patria sua honorem non ha
 beret; Si contemneret pergere in galileam & in samaria remansisset; Intendat
 ergo caritas uestra insinuatum nobis non modicum sacramentum. suggerente
 dno & donante quod loquar; quaestionem propositam cognouistis. solutione
 eius exquirite. sed repelamus propositionem. ut solutionem desiderabilem fa
 ciamus; mouet nos cur euangelista dixerit. ipse enim ihs testimonium perhibu
 it. quod propheta in patria sua honorem non habet; hoc per motu r & eximus uer
 ba superiora ut inueniamus. cur hoc euangelista dicere uoluerit. & inuenimus
 superiora uerba eius ita narrantis. qm̄ post biduum profectus est de sama
 ria in galileam; propter hoc ergo dixisti o euangelista testimonium perhi
 buisse ihm. quod propheta in patria sua honorem non habet. quia post bi
 duum reliquit samariam & properauit uenire in galileam. Immo uero quasi
 uideor mihi congruentius intellegere. quia si honorem in patria sua ihs non
 habet. non ad eandem relicta samaria festinat. sed ni fallor. immo quia
 uerum est & non fallor. melius enim quam ego uidit euangelista quid diceret.
 melius me ueritatem uidebat. quia eam de pectore dni bibebat; ipse enim est
 iohannes euangelista. qui inter omnes discipulos super pectus dni discumbe
 bat. & quem dns caritatem debens omnibus. tamen praeceteris diligebat; ergo
 ille falleretur. & ego recta sentirem. Immo si pie sapio. oboedienter iudicam.